



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Emericus Conf. 4. Nov.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

694 VITÆ SANCTORUM. 4. Nov.  
tendere, prædamque se illi (si Numini  
placuisset) devorandam objicere. Et pro-  
fectò, si sapit juvenus, non ita ad flam-  
mantes draconis oculos, non sibilos ira-  
tos, & dentatos rictus, uti ad aspectus Ve-  
neris molles, ad verba mellea, & arridentia  
oscula exhorrescet. Ex Metaphr.

*Luxuriam mortem animæ ille evadere po-  
terit, qui ipsius occasiones fugit, principii  
tentationis resistit, carnis desideria frangit,  
corporis abhorret otium, corporis resolutio-  
nem recogitat, & præcipue cordis humili-  
tatem possidere conatur. S. Laurent. Iustin.  
lib. I. de Spirit. interitu animæ.*

S. EMERICUS CONF. 4. Nov.

**P**ater EMERICO D. Stephanus fuit  
Ungariæ rex. Matrem in terris Gile-  
lam, D. Henrici Imperatoris sororem,  
in coelis Mariam salutavit, cui natum  
unicè semper pater commendaverat. A  
tantis parentibus minimè degener EM-  
ERICUS, non dies modò, sed quas ju-  
ventus somno aut voluptatibus, hoc est,  
somnia, dare amat noctes, precibus  
pius vigil transcripsit, non prius ab au-  
rorâ deprehensus, quàm omnia Vatis  
Iessæi cormina decurrisset, & post singu-  
la intercalare osculum terræ fixisset. O-  
culos habuit tam pyros, ut ipse animo-  
rum occulta sensa perspiceret. Nam iul-  
sus à parente salutem ferre viris Dio da-  
vo.

4. Nov. VITÆ SANCTORUM. 695  
votis, oscula quidem in omnes amicis-  
sima dispensavit, aliis tamen plura atque  
aliis tulit, non neminem etiam septies  
dissuaviatus. Causam deinde rogatus,  
oscula sua meritis singulorum respondere  
affirmavit; qui plurima tulisset, cum vir-  
ginem ad id ætatis animum gestare, mil-  
le etiam osculis dignum. Ipse cum vocem  
audisset cælo allapsam, nihil præ virgini-  
tate Superis arridere, quàm mox *Deo Dei-*  
*que Matri* florem suum dicavit. Nec spon-  
sam prius admisit, quàm suum & ipsa  
cælo despondisset. Et placere ita hi Nu-  
mini, ut abstinere jam non potuerit ma-  
num, sed ex his *Emericum* beatâ morte  
decerptum in sua rosaria transtulerit. Eò  
enim ferri Eusebius Episcopus vidit. In-  
de tu quisquis adhuc cum vento, cum  
æstu, cum hieme luctaris flos virgo.  
Marcescis, si te cælum non carpit, &  
marcescentem manu scilicet *Virgo* abji-  
cit. *Ex Surio.*

*Duo sunt amores; mundi, & Dei: si  
mundi amor in te habitet, non est, quâ in-  
tret amor Dei, recedat amor Mundi, &  
habitet Dei; melior accipiat locum. ama-  
bas mundum? noli amare mundum; cum  
exhauseris cor amore terreno, hauries divi-  
num. S. August. Tract. 2. in Ep. S. Ioan.*